

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

**XXXVII.**

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

perè tamen sistatur effluxus. Narraverat autem nuper Polonus, per quem literas ad te dederamus, in Polonia à Podagricis magno cum successu usurpari Therebintinas pillulas, manè & vesperi, ex therebinto lota cum aqua rosarum saccato mixtis confectiones, ut ad nucis avellanae magnitudinem una vesperi, altera manè sumatur, idque in dies singulos, quod quidem mitissimum remedium fuerit, renibus etiam valde congruens, circa laetionem ventriculi. Sed hoc hactenus meæ conjugi persuadere nequivi, quod nimio soleat esse ad medicamentorum usum quorumcunque difficilis. De filiis tuis idem scribo, quod semper, faciunt non impigne officium, versantur in utraque philosophia, meo iudicio non sine profectu, ut sperem, patriæ operam præstituros frugiferam. De Cypro occupata horrenda narrantur, & jam bella etiam contra Ungariam à Turca parati nunciant complurimi. Sed haec sunt flagella D. peccatis nostris debita, quæ seriat pœnitentiæ studio nos avertere convenient. Sed bene vale, vir Reverende & charissime frater. Scripsi Basileæ, 12. Martii. Anno

1571.

M. Philippus, ad Synodum Hochbergica proficisci mihi cupiuit adjungi, quod etsi ægrè permisi, quod sumptum malim vitare, non potui tamen negare pœnitiens, quando non ultra quatriduum emansurus sum.

M. Erasmo in Canicularibus dabimus locum sacra profitendi.

T. d.

totus &amp; ex animo frater

S. Sulcerus. D.

## XXXVII.

## S. in Domino.

**I**gnosces, Ornatissime Dn. Magister, festinationi meæ, tametsi jam sæpe leadem excusatione utar. Literas tuas proximas, ut sanè omnes abs te, magna accepi, legique voluptate. Nam & ad meas amicissimè scriptæ erant, & de tuis rebus me faciebant certiore, quod mihi erat gratissimum. Ac tametsi Hochbergense iter impeditum fuisse tua causa doleo: tamen alterum illud visitationis Rötelanæ, de quo D. Doctor mihi retulit, vobis gratulor. Magnum enim mea sententia est, non audire tantum tam præstantes Theologos, sed eorum quoque ~~ingratiarum~~ in agro Domini posse perspicere: de quo genere si per otium quædam ad me perscriperis, magno me beneficio affectum putavero. Tigurinos vomitus vidimus, quos nisi eructassent illi, multi de veritate Testamenti Brentiani dubitassen: nunc re ipsa experiuntur, sub illa pia & modesta responsione mendacii & homicidii spiritum latere. DEUM oro, ut suæ Ecclesiæ miscreatur, & ei gratias ago toto pestore, qui Basiliensem sit

Yy

tam

354.

tam clementer misertus. Sed ut ad alia veniam, illud de tuis Praelectionibus M. Füglini est, quod tamen ex ipsa urbanitate te puto potuisse animadvertere. De M. Piscatore mihi amicissimo homine & mei, ut ego judico, observantissimo, proximè non tam meum, quam D. Doctoris parentis tui judicium adscripseram; sed nequaquam deplorata res est, ut ex literis ad M. Erasimum intelliges. Ipse autem Piscator se vobis hoc tempore per me excusat, quod propter vices sibi non vacet scribere, & officiosè salutat utrumque. Scriptum contra Rabum justum erit volumen, & refutationem complectetur totius Pontificiae abominationis, & jam ad finem fermè deductum est. Sed nostri Magistratus editionem non videntur concessuri, itaque ad vos forsitan mittetur, quod cum quanto nostræ urbis dedecore conjunctum sit futurum, tute vides. Sed Vurmsero & aliis obtemperandum fuit, qui metunt; ne celum ruat. Dn: Carolus Müggius graviter decumbit, sed speramus piorum preces apud Dominum aliquid posse; morbus est epidemia pleuritis, cum calore sebili, & tussi. Beate & fæliciter vale, Humanissime Philippe.. Calend. Aprilis, 1570..

Tuus ex animo frater:

Johannes Pappus.

### XXXVIII.

#### *S: in Christo Ihesu, salute nostra.*

**A**D Epistolam tuam, Humanissime M. Erasme, & tardius, & brevius forsitan, quam par est, respondeo.. Sed tarditatem hominum ad vos, me: quidem conscient, euntium raritas excusabit, brevitati ipsa temporis ratio, cuius jam ad scribendum datur parum, veniam imperrabat. De Illyrico, & ejus subscriptione sic habeo.. Quærerit D. Jacobus Andreæ, non suis Articulis, sed normæ Zerbestanæ (qua tria Symbola, [Confessio Augustana, Apologia; Articuli Smalcaldici, Catechismus Lutheri continentur]) suffragia Theologorum superioris Germanie. In qua cum Illyricus etiam nunc versetur, ab ipso per nos idem peti voluit. Ille libros hos approbat quidem omnes, & suam eorum iudicio doctrinam submittit: sed in subscriptione necessariam tamen sibi arbitratur esse additionem, quod in certaminibus superiorum annorum pro hac ipsa norma pugnaverit. Hanc Protestationem omitti veller D. Jacobus, & simpliciter ab Illyrico scribi, ut nos, & alii fecimus. Ego N. N. corde & manu subscribo.. Dn: Doctor autem pater tuus, quia & paulò aliam

ratio-